Quelle:
Copyright:

ad *Kunegundem* Viduam *Henrici* II. Imp. poſt Mariti mortem in Parthenone *Kaffungenſi* ſeu *Confugienſi* a ſe condito degentem, cujus initium: *Dudum quidem Domna Imperatrix tibi petere placuit ut ex ſcripturis colligerem luculentos breuesque ſermones* &c. et Subſcriptio miniata: *Ego Johannes Vltimus Seruorum Chriſti. et qui mecum ſunt fratres Beatitudinem tuam ſalutamus in Chriſto Pia Mater pauperum et Nobile Decus Viduarum. Vale. Conſeruet te ſemper in uoluntate ſua omnipotens trinitas.* Ne actum agam, adeat Lector *Joh. Mabillonii Vet. Analecta* Edit. nov. *Pariſ.* 1723. T. I. p. 120. f. ubi et *Prologum* integrum, et ſumma totius Compilationis, quam Autor ipſe in Prologo *Libellum de Contemplatione divina, Chriſtique amore et de illa ſuperna Hieruſalem omnium Fidelium matre* vocat, Capita habet. At vero *fol.* 102. p. 2. poſt Rubricam: *Quid ſit jubilum* Codex noſter a *Mettenſi*, quo uſus eſt *Mabillonius*, abit et *Orationum*, quae huic numero VI. et VII. ſunt, loco prolixam interſerit Diſſertationem myſticam inſcriptam rubro: *De omnipotentia majeſtatis*, quae incipit: *Omnipotens Deus in ſemetipſo habet ſine mutatione ſui mutabilia diſponere. ſine diuerſitate ſui diuerſa agere. ſine cogitationum uiciſſitudine diſſimilia formare* &c. finit: *impenetrabilia eius iudicia perpendentes ſubmiſſis alis humiliter ſtamus;* et ſequentia pertractat: *Quod perfectio contemplatiue uite in hac uita non datur. De uoce carnis. De uoce ſub firmamento. De uoce de firmamento. De uoce ſuper firmamentum. Quid ſit quod ſancta animalia alas ſubmittunt.* Poſt hanc Diſſertationem redit *Mabillonii* N. VIII. ſive *Confeſſio humilis peccatoris in tempore anguſtie et infirmitatis. Miſerere domine miſerere pie* &c. Sed in verbis: *Scis omnia potes omnia*, terminatur *Codex*, nihilque agnoſcit *Orationum*, in quas *Mettenſis* procurrit. Autorem *Mabillonius* conjectat fuiſſe *Johannem* Abb. *Fiſcamnenſem* e rationibus, quas *l. cit.* p. 125. expendit.

DCLVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 150. f. per duas columnas non una manu, elegan- U. 359 ter tamen perſcriptus, miniatus, et quondam, uti praecedens, *Johannis Fabri* Ep. *Vien.* continet: I. *Smaragdi Abb.* O. S. B. *Diadema Monachorum* prorſus, ut *Codice* praeced.

II. *fol.* 58. velut e calce praeoccupo, *Libellus iohannis de diuerſis ſcripturis collectus.* Eadem videlicet myſtica ad *Kunegundem* Aug. Compilatio, quam mox indicavi, quae cum ſe penitus habeat, ut in exemplo praecedente, et ultimis verbis: *Scis omnia potes omnia*, continuo ſubdatur: *Explicit libellus iohannis* &c. inclinor, ut credam, Mantiſſam illam *Orationum*, quam e *Mettenſi* Codice excitavit *Mabillonius* ad *Johannem* noſtrum haud pertinere, idque eo magis, quod, earum quae